UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01308075 9

ÆSTIONUM ALAMANNICARUM SPECIMEN.

SCRIPSIT

PAULUS ALBRECHT

LIPSIENSIS.

DISSERTATIONIS INAUGURALIS PARTICULA.

DD
78
A5A54
1867
c. 1
ROBA

LIPSIAE

PROSTAT APUD J. C. HINRICHS.

MDCCCLXVII.

I.

De re publica Alamannorum.

Ammianum Marcellinum, qui ipse stipendia meruerit, non est cur miremur bellis decribendis omnia alia posthabuisse, et si quid amplius historiae scribendae addiderit, eos potissimum commemorasse, qui potentiores in terris rerum summam manibus tenuerint. In libris eius perscrutandis excelsam atque sublimem in rebus disponendis libertatem desideramus, qua Cornelius Tacitus clandestinas rerum causas investigans quasi dominus factus est earum rerum, quas sibi describendas proponeret, noster inservit rebus, quas tempora ei enarrandas dederunt. Itaque vix eius culpae tribuendum est, quod semper fere pacis quieta ac minus speciosa neque tamen minus graviora opera neglexit, ita ut carptim hic illic ex duris ac bellicis eius verbis aliquid de domesticis rebus eorum eliciamus, quos ille commemoraverit populos; sic casu quodam factum videtur, ut XVII. 1. 7. ad Moenum fluvium „domicilia cuncta curatius ritu romano“ constructa esse commemoraret, cum alias „fragiles penates“ fuisse Alamannorum referret, XVIII. 2. 15. Ac nisi de Burgundionibus notissimus locus extaret, XVIII. 5. 14: Apud hos generali nomine rex adpellatur Hendinos et ritu vetere potestate deposita removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli vel segetum copiam negaverit terra: ut solent Aegyptii casus eiusmodi suis adsignare rectoribus. Nam [1]) sacerdos apud Bur-

1) Illud „nam,“ quod cui rei causam afferat, non intellegitur, aeque atque haec verba: obnoxius discriminibus *nullis ut reges*“ ab Ammiani genere dicendi

gundios omnium maximus vocatur Sinistus et est perpetuus, obnoxius discriminibus nullis ut reges," — prorsus ei Germanorum res domesticas immotuisse negares aut certe placuisse ut commemoraret. Itaque si Alamannicae rei publicae speciem aliquam ex eius relatione componere studemus, saepius ad singula verba recurrendum erit et hoc potissimum agendum, ut qui sit huius illiusve vocabuli apud Ammianum usus describamus, deinde Ammiani usum data opportunitate cum aliis eorum vel posteriorum temporum testimoniis comparemus; neque enim ab omni dubitatione absoluta singulorum auctorum verba invenientur, nisi communem rerum conexum respicias.

Alamannos foedere quodam coniunctos fuisse inter omnes constat. Qui huic foederi praefuerit rex seu sacerdos seu praefectus nullum invenimus, cum paucis omnino locis commune omnium Alamannorum nomen commemoretur ab Ammiano. Sine dubio, omnes Alamannos egisse putabimus, ubi XXVI. 5. 7. „legatos eorum" ad repetenda munera missos esse sic nude legitur. Si enim unius regis fuissent legati, Ammianus, qua est in referendis nominibus sagacitate, regis potissimum seu pagi nomen attulisset; cum autem „Alamannorum legatos" commemoret, omnium Alamannorum legatos fuisse intellegitur. Qui cum munera seu auri quoddam tributum repeterent, fuisse necesse est, cui munera referrent, neque alium invenies nisi commune omnium Alamannorum consilium, quod quale fuerit ignoramus. Inde singulis pagorum regibus munera distributa esse verisimile fit. Minus dilucide alia legatio ab Ammiano communis Alamannorum fuisse dicitur XVII. 1. 3. Legitur enim de duplici legatione, quarum prior foederum fidem servari indicaret, altera bellum indiceret. Quae foedera ab Ammiano intellegantur non satis apparet. Videntur haec foedera eius fuisse generis quo plerumque Germanorum populi Romanis iuncti erant his conditionibus ut agri quandam partem acciperent, obsides militesque praeberent, comercium utrisque liberum esset. Tali foedere communem omnium Alamannorum rem publicam a Romanis in societatem esse ascitam veri non est dissimile, praesertim cum alias quoque (Amm. 28. 2. 16. 26. 5. 7.) et foederis et obsidum mentio fiat. Ex huius foederis lege priorem illam legationem ad Julianum Caesarem missam esse existimave-

abhorrentia, corruptelam quandam hoc loco latere indicant, nisi forte omnem locum ex alio quodam auctore attulit Ammianus.

rim; alteram autem fuisse eorum qui proximi essent bello Romanisque. Alteram legationem *celeri cursu* priorem excepisse ait Ammianus; quare irrita est illa quam ipse affert Marcellinus, causa: „ut primae vertiginis impetum declinarent“ missos esse legatos. Quomodo enim fieri potest, ut qui differre proeliorum molem studeant, celeriter ipsi principes sint belli indicendi? Accedit quod ancipitem haesitasse Ammianum apparet ex eius verbis: „incertumque quo consilio aut instituto mutata voluntate per alios cursu celeri venire compulsos acerrimum nostris minati sunt bellum, ni eorum regionibus excessissent.“ Quae cum ita sint, cum non tantum Ammiani verbis tribuendum esse manifestum sit, non dubitaverim quin miram duplicis legationis causam sic diiudicem, ut alteram fuisse omnium Alamannorum, finitimorum alteram dicam. Inter se pugnare totius populi consilia et finitimae partis non est quod miremur. Bella enim proximorum annorum omnia fere gesta sunt a singulis Alamannorum pagis, quamvis universus populus in amicitia esset populi romani. Quae si vera sunt hoc quidem adipiscimur: communem omnium Alamannorum civitatem foedere quodam fuisse cum Romanis coniunctam, sub ea conditione, ut certis temporibus munera ex more praestituta acciperent, ipsi obsides darent optimatum liberos [1]). Haec utrimque quasi pignora „mansurae diutius pacis“ data videntur; ceteras foederis conditiones, quas ignoramus, ad similitudinem reliquorum foederum compositas verisimile fit: ut agri portionem quandam occuparent, scilicet usque ad Rheni ripam dextram [2]), ut liberum esset comercium [3]), ut Ala-

1) XXVIII. 2. 6 „optimates Alamanni venere obsidum patres, quos lege foederis mansuraeque diutius pacis haud aspernanda pignora tenebamus.“ Quotiescunque apud Ammianum pacem esse compositam a Juliano seu a Valentiniano legimus, nunquam obsidum mentio fit inter conditiones. Cum tamen obsides apud Romanos detinerentur, ex eius foederis lege eos in Galliis vitam degisse apparet, quod ante quam Ammiano auctore res Alamannorum cognoverimus, a prioribus Imperatoribus cum communi Alamannorum civitate ictum esse intellegitur.

2) Inde quod propriae Alamannorum terrae dicuntur dextrae ripae regiones, [XVII. 1. 2. flumine transmisso occupavere terras hostiles XVII. 1. 3. acerrimum nostris minatisunt bellum, ni eorum regionibus excessissent. XVII. 1. 11. munimentum quod in Alamannorum solo conditum Traianus suo nomine voluit appellari. XXVIII. 2. 5. in monte Piri, qui barbaricus locus est.] apparet post Probi Imperatoris tempora (276—282) foedus ictum esse, cui ultimo tam victori quam domino contigit esse in dextra ripa.

3) XXIX. 4. 4. venalia ducentes mancipia scurras, casu illic repertos, cunctos mercibus direptis occidit.

mannis ad militiam romanam liceret comigrare [1]). Quodsi autem ipse Ammianus mansurae „diutius“ pacis pignora fuisse obsides dicit, neque vero sempiternae, caute et recte quidem ille rerum conditionem describit. Neque enim tam arcto foederis vinculo Alamanni inter se continebantur, ut, si omnium communis civitas ad conditiones descendisset, singulae civitatis partes inimicitiis abstinerent. Jam satis putabatur, si publico omnium consensu pax esset; quae singuli agerent, nihil ad communem voluntatem valebat. Mira haec est rerum discordia et talis quae vix credi possit, nisi simili ratione Gothi quoque et foederati et hostes fuisse Romanorum dicerentur XXVII. 5. 1. [2]) Semper enim singulis belli inferendi causae suppeditabant ruentibus imperii rebus, neque firma potestate aderat communis magistratus, qui his singulorum turbis superior pacem atque foederum fidem servaret. Quanta fuerit in rebus domesticis concordia et communis foederis potentia, nobis non liquet: hoc tamen procerto licet affirmari, in rebus bellicis singulorum voluntatibus superatam esse communem foederis fidem.

Itaque iam ad singulas Alamannorum partes descendamus. Per pagos divisos Ammianus eos incoluisse dicit; in pagis summa igitur rerum externarum posita erat. Commemorat Ammianus Suomarii pagum in Rheni angulo positum, ubi Moenus in illum effunditur XVII. 10. 3., XVIII. 2. 8. Hunc meridiem versus excipiebat Hortarii pagus XVII. 10. 5., XVIII. 2. 13. quem sequebantur secundum Rheni ripam Urii Ursicini Vestralpi regum pagi XVIII. 2. 18. E regione Augustae Rauracorum Gundomadi et Vadomarii pagi incolebantur XIV. 10. 1. ss., XVI. 12. 17., XXI. 3. 1. Lacus Brigantiae litus septentrionale Lentienses tenebant XV. 4. 1. XXXI. 10. 2. 11. ss. Post horum terga limes priscus Romanorum Alamannos a Burgundionibus dividebat; ubi ille Moenum superavit,

---

1) XX. 4. 4. „ut illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus transrhenanis sub hoc venerant pacto, ne ducerentur ad partes umquam transalpinas: verendum esse adfirmans, ne voluntarii barbari militares saepe sub eiusmodi legibus adsueti transire ad nostra, hoc cognito deinceps arcerentur.“ Partem tantum Alamannorum non omnem civitatem attinet, si XXXI. 10. 17. valida iuventus ad legionum supplementa pago cuidam imperatur.

2) „Victor magister equitum ad Gothos est missus cogniturus aperte quam ob causam gens amica Romanis foederibusque ingenuae pacis obstricta armorum dederat ad minicula bellum Principibus legitimis inferenti.“

Traiani munimentum videtur positum fuisse, cui finitimi erant trium regum pagi XVII. 2. 13, incertum utrum in dextra an sinistra Moeni ripa positi. Trans Moenum denique et Taunum montem Macrianus rex XVIII. 2. 15., XXVIII. 5. 8., XXIX. 4. 2., XXX. 3. 3. Bucinobantes Alamannos [XXIX. 4. 7.] rexit, unaque cum eo Hariobaudes frater, XVIII. 2. 15., qui simili ratione atque Vadomarius et Gundomadus fratres suo uterque pago praefuisse videntur. Numerum igitur, si uni pago duos fratres Macrianum et Hariobaudem praefuisse existimamus, certum duodecim pagorum adipiscimur, si duobus tredecim. Duos fuisse pagos duorum fratrum Gundomadi et Vadomarii, Ammiano teste certo scimus [1]); sed ut antea patrem duorum fratrum unum pagum tenuisse verisimile est, ita mortuo fratrum altero utriusque pagi potestas ad superstitem fratrem redisse videtur, cum de Gundomadi successore nihil nobis traditum sit, Vadomarii autem filium Vithicabium XVII. 10. 3. patrium regnum excepisse sciamus. Simili modo Hariobaude mortuo contractis in unum duobus pagis Macriani regiam potestatem auctam esse existimo atque magis etiam haec res mihi probatur, ubi et Vadomarium et Macrianum prae ceteris regibus potentia excelsiores fuisse reputo, quos ex latioribus pagis maioris auctoritatis praesidium sumpsisse mihi veri simile fit. Alium igitur pagorum numerum aliis temporibus fuisse facile intellegitur, ita ut modo tredecim [Macriani, Hariobaudis, Suomarii, Hortarii, Urii, Ursicini, Vestralpii, Vadomarii, Gundomadi, Lentiensium, trium regum] modo undecim [abolitis Hariobaudis et Gundomadi pagis] enumeremus. Restat ut Chnodomarii et Agenarichi seu Serapionis mentionem faciamus, quos pugnae Argentoratensi potestate excelsiores ante alios reges interfuisse dicit Ammianus XVI. 12. 24. Chnodomario capto [l. l. 60] et mortuo [66] neque eius pagus neque Agenarichi pagus umquam commemorantur aut in dextra aut in sinistra ripa. Fuisse illis pagos, nemo erit quin concedat, cum potestate excelsiores ante alios reges eos valuisse consideraverit; in dextra ripa positos fuisse illorum pagos, inde apparet, quod

1) XVI. 12. 17. Regii duo fratres vinculo pacis adstricti quam anno praeterito impetraverant a Constantio nec tumultuare nec commovere sunt ausi. Sed paullo postea uno ex his Gundomado qui potior erat fideique firmioris per insidias interempto, *omnis eius populus* cum nostris hostibus conspiravit: et confestim *Vadomarii plebs*...., ut adserebat, agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit.

„adventu suo“ Chnodomarius in sinistra ripa castra posuit, l. l. 58. et quia non nisi Rhenum transgressus ad territoria potuit pervenire [1]). De Agenarichi fortuna, qui Chnodomarii nepos fuit, Ammianus tacet ac verisimile est, illum in fuga perisse. Jam quaeritur, quem dextrae ripae locum his duobus pagis assignemus. Equidem non dubito, quin in dextra Moeni fluvii ripa a flumine usque ad Taunum montem patuisse duorum regum pagos vel pagum dicam, propterea quod statim post pugnam Argentoratensem in illis fere regionibus Julianus Rhenum traiecit, ubi exstincto Chnodomario facilem videtur sibi victoriam sperasse de pago rege carente, quodque eo anno, cum per has regiones exercitus romanus proficisceretur, nullum regis alicuius nomen commemoratur, in quibus referendis subtilissimum esse Ammianum saepius diximus. Accedit, quod Macriani non potuerunt esse Alamanni, qui Tauno monti insidentes Julianum progrediendo prohibebant, cum eorum regem usque tum ne vidisse quidem arma romana constet. Itaque si inter Macrianum et Suomarium Chnodomarii et Agenarichi pagos vel pagum positos fuisse dicimus, et regio illa, quae alias ἔρημος videretur qualis Helvetiorum tempore erat, certum regis nomen adipiscitur, et cur in ea potissimum regione Julianus anno 357. Rhenum transierit, apparet. Alia autem est quaestio, utrum similem Chnodomarii atque Agenarichi causam putemus Vadomario et Gundomado fratribus necne, sive: utrum duos pagos fuisse existimemus an unum. Agenarichus filius fuit Mederichi, qui frater fuit Chnodomarii; a patre Medericho illum regnum accepisse necessario ex aliis exemplis concluditur. Itaque cum rursus duos fratres regnasse inveniamus, non iniuria horum quoque pagos antea, quam patre mortuo per contribulium voluntatem regna acciperent, unius pagi finibus circumscriptos fuisse aliquis coniciat, qui pagus si re vera extitit, duodecimum locum inter Alamannorum pagos obtinuit et solemnem quasi numerum implevit; quem numerum, siquidem ad verum nostra sententia accedit, antiquitus verum ac proprium Alamannicorum pagorum contendimus; deinde vero temporum vicissitudinibus uno alterove pago bipartito, numerum auctum, denique ad priorem statum aut infra priorem statum redactum esse dicimus. Quis denique Chnodomarii

1) Seu tentoria secundum codicum lectionem, seu territoria cum Ernestio scribendum putamus, semper dextrae ripae et tentoria et territoria erunt attribuenda.

ac Serapionis pagos vel pristinum duodecimum pagum acceperit, cum neque de Chnodomarii filio, fueritne illi proles, neque de Agenarichi fortuna quidquam sciamus, vix coniectura assequimur. Postea Macrianum in eisdem regionibus praepotentem vigere invenimus; utrum eius auctoritati hic quoque pagus accesserit necne, quis est qui dicat? — Ceterum huic opinioni nil officit, quod duobus locis pagi plurali numero leguntur, XVIII, 2. 8. „(Suomarii) eius enim pagi Rheni ripis ulterioribus ad haerebant," et XV. 4. 1. „Lentiensibus Alamannicis pagis indictum est bellum;" noli propterea de pluribus unius regis vel Lentiensium pagis cogitare, alias enim apertis verbis singuli pagi singulis regibus distribuuntur [1]) et quod ad Lentienses attinet, ipsum Ammianum conferas XXXI. 10. 2. Lentiensis Alamannicus *populus* et deinde §. 5: *„pagorum omnium incolis* in unum collectis. Novum hoc est exemplum eius rei quam vir doctissimus G. Waitz laudavit in libro, cui inscribitur Verfaſſungsgeſchichte, II, pag. 281. his verbis: Innerhalb eines Gaues konnte es einen Diſtrict geben von dem derſelbe Name galt. So iſt der Zürchgau ein Theil des größern Turgau. Tres ex his Alamannorum pagis propriis nominibus insigniuntur, quorum duo apud Ammianum occurrunt: Bucinobantes, Lentienses, tertium in Notitia Dignitatum legitur [2]): Brisigavi. Hoc tertio nomine, cuius originem et regionem etiam nostris temporibus nos tenemus, pagus appellatur, qui apud Ammianum Urii vel Ursicini regis nomine commemoratur. Lentiensium nomen medio aevo conservatum est in Linzgauvvia saepissime commemorata. Bucinobantes veterem Puohunnam vel Buchoniam videntur tenuisse; utrumque nomen ex eis temporibus servatum videtur, cum coalescente Alamannorum civitate singuli populi suis nominibus florebant, quae deinde praeter haec pauca vestigia perierunt.

Noli autem existimare, cum invalidum communis foederis vinculum videatur, nihil fuisse his pagis commune. Immo mutuis inter se conditionibus obstricti tenebantur, ubi communis utilitas communem contentionem poscere videbatur, et hac ratione factum est, ut sua sponte arctioribus pactionum conditionibus inter se tenerentur, quas publico iure omnes sibi imponere nolebant. Omnia fere bella quae Ammianus describit, a paucis inter se coniuratis

1) XVII. 10. 5. Hortarii nomine petendus erat regis alterius pagus.
2) Not. dign. occ. 19*, 25*, 33*, 37*.

pagis gesta sunt; perraro aliquis omnium pagorum bellicosam iuventutem exisse putaverit, neque umquam ab Ammiano talis causa refertur. Incipit ille a Gundomadi et Vadomarii bello; neque quisquam erit qui miretur, duos pagos a duobus fratribus rectos, inter se consensisse de bello gerendo, quosque antea uno pago coniunctos fuisse verisimile est. Lentienses, quorum deinde mentio fit, per se soli bellum gessisse dicuntur, sed eos quoque foederum conditionibus cum finitimis pagis coniunctos fuisse, ex armatorum multitudine conjicitur, qua cum Gratiano Imperatore decertant. Legitur enim XXX. 10. 5: maioraque concoeptantes pagorum omnium incolis in unum collectis, cum quadraginta armatorum millibus vel septuaginta, ut quidam laudes extollendo Principis iactitarunt, sublati in superbiam nostra confidentius irruperunt.“ Agitur de his verbis„ pagorum omnium,“ quae duplici modo accipi possunt, ut aut „omnium pagorum Lentiensium incolas“ intellegi dicas aut „omnium pagorum Alamannorum.“ Praestare prius videtur, cum antea XV. 4. 1. de pluribus Lentiensium pagis relatum sit atque, si Alamannici pagi essent intellegendi, cum omnibus quoque Alamannicis pagis de pace agendum fuisset; at Lentienses soli pacem componunt. Accedit, quod difficile est ad intellegendum, qua tandem auctoritate Lentienses omnes Alamannos ad arma colligere constituerint. Attamen ex numerorum ratione apparet, non tantas fuisse unius pagi vires, ut fugato quadraginta millium exercitu et interfectis millibus triginta quinque et resistere et validam iuventutem Gratiano offerre potuerint; Lentiensibus quoque socios atque auxilia fuisse inde conjicitur. Sed nulla coniectura opus est in celeberrima Argentoratensi pugna, ubi suis verbis Ammianus haec Alamannorum foedera describit. Legitur enim XVI. 12. 1: „Alamannorum reges Chnodomarius et Vestralpus, Urius quinetiam et Ursicinus cum Serapione et Suomario et Hortario, in unum robore virium suarum omni collecto, consedere prope urbem Argentoratum.“ Apparet ex paragrapho tertia ubi haec leguntur: missis legatis satis pro imperio Caesari mandaverunt, ut terris abscederet virtute sibi quaesitis et ferro, eos coniuravisse reges, qui sinistram ripam occupaverant eosdemque dextrae ripae esse finitimos supra secundum Ammiani verba commemoravimus. Quae cum ita sint, haud absonum a veritate mihi videtur, eisdem domiciliorum conditionibus eos in foedus atque coniurationem ductos esse, unde etiam ad migrationem Alaman-

norum et ad eam rationem, qua fines suos propagaverint haud parvi momenti testimonium elicitur. Apparet enim foedere icto, qui extremi quoque tempore Alamannorum essent, superatis finibus novas ad antiquas insuper occupavisse sedes, ita tamen, ut veterem civitatis nexum non solverent sed dilatarent et propagarent, donec data occasione novi pagi partitionibus ex antiquis prodirent. In eandem rem hoc quoque incidere commemoravimus, quod septem posteriori tempore Alsatiae pagi inveniuntur, sub quo numero vestigium eius temporis latere existimo, quo septem pagorum Alamannici reges superato Rheno has regiones occupaverunt. — Sed non solum inter se reges septem verum etiam cum aliis pagis ad mutua coniuraverant auxilia cfr. XVI. 12. 26. Hos sequebantur potestate proximi reges numero quinque regalesque decem et optimatum series magna armatorumque millia triginta et quinque, ex variis nationibus partim mercede partim pacto vicissitudinis reddendae quaesita." Si mercede quaesitos esse bellatores ait Ammianus, Romanos potius quam Germanorum mores respicit neque iniuria nos quidem ad alteram potissimum partem animadvertimus, quam pacto vicissitudinis reddendae quaesitam esse ille ait. Conspiraverat autem cum illis Gundomadi populus simulque Vadomarii plebs etiam invito Vadomario XVI. 12. 17. nec minus tres illi reges, quorum nomina non affert Ammianus XVII. 1. 13. miserunt illis auxilia [1]). Legitur illo loco, „tres ex his qui misere auxilia" unde apparet praeter hos de aliis quoque eius foederis sociis cogitandum esse, sed cum praeter Gundomadi et Vadomarii populos nullum nomen nobis traditum sit, extremi quique Lentienses et Bucinobantes alieni fuisse ab illo foedere videntur, quippe ad quos hoc bellum minus pertineret. Ad eandem societatem spectat, si Suomarius rex „ex pactione praeterita" monetur, ut transitu Romanos arceat XVIII. 2. 8. Simili modo tres illi „reges immanissimi" eorumque pagi commune quoddam vinculum videntur habuisse qui „maturata ad suam perniciem contemplantes (Juliani gesta) metuque rei peractae volueriter *congregati* precibus et humilitate suprema petiere missis oratoribus pacem XVII. 1. 12. Qui communi consilio pacem petiverunt eisdemque conditionibus impetraverunt, eos societatem quandam inisse veri

1) „Vieti apud Argentoratum" non propterea dicuntur, quod iam victi erant, cum auxilia venirent, sed quo brevius septem regum nomina comprehendantur.

non est dissimile, quamvis instante demum Juliano foedus ictum esse cogites.

Singulis pagis singuli reges praeerant, penes quos summa, etsi non omnis rei publicae potestas erat; neque enim tantum valebant vicini Romanorum mores, ut ad unum omnia redirent. Tamen satis magnam et vere regiam fuisse eorum potestatem inde apparet, quod quasi per manus regna a patre in filios, a fratre in fratrem transibant. Sed publica auctoritate id factum esse pro certo affirmatur, ubi non omnem populi potentiam abolitam esse consideravimus. Populos enim convocatus de pace et bello agebat. Sic Gundomadi et Vadomarii populi „suscepto pro instantium rerum ratione consilio“ legati miserunt [1]) qui pacem peterent. Simili modo Vadomarius, quo perfidiae crimine se purgaret, adseverare potuit, se invito populum ad pugnam Argentoratensem exisse [2]); hoc modo se excusare non potuisset, nisi summa pacis ac belli potestas penes populum fuisset. Sed noli ex callidi Vadomarii verbis concludere, potuisse sine regia auctoritate bellum incipi. Quantum enim regis voluntas ad populi scita valuerit, inde intellegitur, quod Gundomadus, cum propter fidem Constantio datam se Argentoratum profecturum esse negaret, interfectus est [3]). Tanto facinore, — nisi forte privatum accessit odium — bene abstinuissent, si sine regis auctoritate auxilium ferri potuisset. Simillima haec est causa ei quam Gregorius Turonensis (IV. 14.) refert de Chlothacharii Francorum regis bello Saxonico: Quibus ait Chlothacharius rex: desiste queso desistite ab hac intentione .... tamen si eo ire volueritis, spontanea voluntate ego non sequar. Tunc illi ira commoti contra Chlothacharium regem super eum inruunt et scindentes tentorium eius ipsum quoque conviciis exasperantes interficere voluerunt, si cum illis abire differret. Haec videns Chlothacharius invitus fuit cum eis. — Eadem ratione qua Vadomarii atque Gundomadi pagi pacem petiverunt trium regum populi, de quibus XVII. 1. 12. haec leguntur:

---

1) XIV. 19. 9. „At barbari suscepto pro instanti rerum ratione consilio dirimentibus forte auspicibus vel congredi prohibente auctoritate sacrorum, mollito vigore, quo fidentius resistebant, optimates misere delictorum veniam petituros et pacem. Tentis igitur utriusque regis legatis etc. Siquis ex ultimis verbis reges misisse legatos haud iniuria coniiciat, is tamen perfectum esse a rege id quod publico consilio placuit, concedet.

2) XVI. 12. 17.

3) XVI. 12. 17.

„Quae illi.... contemplantes metuque rei peractae volucriter congregati..... petiere missis oratoribus pacem.“ Simul hoc loco perspicitur, quale regium in pace componenda fuerit munus. Pagi enim missis oratoribus pacem petiverunt, qua impetrata ad sollemniter foedus feriendum ipsi reges procedunt eorumque igitur opera opus est, ubicunque ad rite aliquid de rebus externis perficiendum aliquis quaeritur, qui rei publicae procuret. Eadem ratione antea XIV. 10. 16. Vadomarius et Gundomadus pacem componunt „icto foedere gentium ritu perfectaque sollemnitate.“ Paullo diverso modo Suomarii populus universus una cum rege occurrens Juliano pacem petit et impetrat [1]), quod propter periculi magnitudinem praeter morem factum esse puto. — Tantum de universi populi potestate nobis certis exemplis traditum est. Puniendi ius penes populum fuisse quivis intelliget, qui veterem Alamannorum legem inspexerit. Poenarum apud Ammianum uno tantum loco fit mentio XXVII. 10. 4: „Interfector tamen (Vithicabii) prae metu poenarum quas verebatur, si patuisset negotium, ad romanum solum se celeri transtulit gradu.“ Ceterum ne ex Pacto quidem vetere Alamannorum satis liquet, fueritne vitae supplicium an maior pecuniae compositio ei imposita, qui regi manus intulerit.

Sed iam ad reges redes. E certis quibusdam generibus reges per omnes pagos sumptos esse intellegitur ex Macriani et Chnodomarii et Vadomarii fratrumque exemplis. Quicunque per stirpis nobilitatem populique voluntatem regiam dignitatem adipiscebantur, pari inter se vigebant auctoritate, nisi quod sponte sua pro temporum ratione uni alterive ex paribus summum imperium concedebant, et hanc esse causam existimo Chnodomarii et Vadomarii Vithicabiique et Macriani. In eandem sententiam abit Merkel [de republica Alamannorum. Berlin 1849], qui pag. 4 haec habet: „Nam pagorum duces sive centenarii pari inter se et dignitate et potestate videntur fuisse in sua quisque provincia princeps, belli tempore qui vellent coniuncti sub electo imperatore, qualis fuisse perhibetur Chrocus ac fuerunt postea Respendial et Chnodomarius Serapioque et Priarius reges.“ De Chnodomario enim XVI. 12. 4. haec leguntur: „Agitabat autem miscebatque omnia sine modo

1) XVII. 1. 3. Rex Suomarius ultro cum suis improvisus occurrit, ferox ante saeviensque in damna romana, sed tum lucrum existimans insperatum, si propria retinere permitteretur.

ubique sese diffunditans et princeps audendi periculosa rex Chnodomarius, et deinde par. 24: Chnodomarius quidem nefarius belli totius incentor, cuius vertici flammeus torulus aptabatur, anteibat cornu sinistrum audax et fidens ingenti robore lacertorum, ubi ardor proelii sperabatur immanis, equo spumante sublimior, erectus in iaculum formidandae vastitatis, armorumque nitore conspicuus, antea strenuus et miles et utilis praeter ceteros ductor.“ Nulla tamen nisi in rebus bellicis disponendis publica auctoritate eum praeditum fuisse inveniet qui XVI. 12. 3. non ab eo tantum, sed ab omnibus septem regibus, qui paris igitur iuris erant, legatos ad Julianum missos esse legerit. Simili modo Vithicabius rex „ardores in Romanos semper succendisse bellicos“ simpliciter narratur XXVII. 10. 3. neque aliter Macrianus rex XXVIII. 5. 8., XXIX. 4. 2. XXX. 3. 3. non publica quadam potestate vel magistratu sed auctoritate et potentia floruisse dicitur. Itidem Priarius rex Lentiensium XXXI. 10. 10. exitialium concitor pugnarum appellatur, idcirco, ut videtur, quia ille potissimum ex omnibus pagis incolas esse cogendos censuerat XXI. 10. 5. Quod si autem cum Macriano pacem Valentinianus quasi cum capite omnium Alamannorum composuit, non propterea hoc factum est, quod Macriani imperio reliqui paruerunt, sed quod tantum auctoritati eius tribuerunt, ut pacem agere eo hortante consentirent; neque, qui liber erat ab illa reverentia, obsequio cogebatur ad pacem agendam; Lentienses enim haud ita multo post bellantes invenimus. Ceterum Romanorum erat, ut quasi praefectos esse reges Germanorum putarent. Hac ratione inductus esse videtur Valentinianus, ut Fraomarium in Macriani locum regnum administrare vellet et Bitheridum et Hortarium reges cohortibus praeficeret, eademque ratione Julianus Vadomarium ducem Phoenices designavit. Quantum afuerint a tali magistratuum creandorum ratione Alamanni, eo potissimum probatur, quod Fraomarius ne initium quidem regnandi capere potuit apud Bucinobantes. Pari potestate igitur reges fuisse cum Merkelio consentio, sed de centenariorum nomine aliter cogito atque ille. Re vera enim reges fuisse neque a Romanis nomen tantum regium eis inditum esse contenderim, ubi illos principes pro genere creatos esse reputo. Ceterum centenariis alius locus in Alamannorum re publica tribuendus videtur. Supra de pluribus singulorum pagorum partibus dictum est et siquis meminerit, ab Ammiano XVIII. 2. 13. praeter reges re-

gulos quoque commemorari, facile regulos minoribus cuiusque pagi partibus praefuisse existimaverit et similem sed minorem potestatem obtinuisse quam totius pagi reges, quare regulorum nomen eis inditum esse a Romanis mihi verisimile fit, neque, quin eos centenariorum munere functos esse secundum Ammiani verba dicam, equidem dubito. Certissimum enim est ex Ammiani sententia tantum intercedere inter regum et regulorum potestates quantum inter voca bula cum ille in Imperatoris comitatu assueverit, ut subtiliter et aulicos et militares magistratus inter se secerneret, atque in aliis quoque rebus hanc subtilitatem comprobet et orientalium potissimum nationum dignitates bene discretas enumeret cfr. XXIII. 6. 14. XXV. 1. 11. XXV. 3. 13. Regulorum quidem vocabulum praeter l. l. semel tantum occurrit XXIII. 3. 8: „Saracenorum reguli gentium," unde parum ad nostrum locum efficitur, ita ut coniecturae via pateat, quam supra attuli. — Praeter reges et regulos tribus locis Alamannorum *regales* commemorantur, XVI. 12. 6. Hos sequebantur potestate proximi reges numero quinque regalesque decem et qu. s. XVIII. 2. 13: reges omnes et regales et regulos ad convivium corrogatos retinuit, XXVII. 10. 1. Alamannorum regalis Rando nomine. — Hac voce non magistratum sed originem ab Ammiano indicari duobus docemur locis XVII. 12. 9.: Zizais quoque etiam tum regalis haud parvi corporis iuvenis ordines Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces et l. l. 21: (Quadorum) regalis Vitrodurus Viduarii filius regis et Agilimundus subregulus aliique optimates et iudices variis populis praesidentes. — „Zizaim regem iisdem praefecit." XVII. 12. 20. additur et, siquidem maius testimonium desideraremus, illis vocabulis doceremur, fuisse regales consanguineos generis regii, qui data occasione ad regiam dignitatem proveherentur.[1])

Sic sua cuique potestas et regi et regulo Alamannorum erat. Qui fuerint regiae potestatis apud populares honores vix ullo verbo ab Ammiano traditur. Dubitatur, an honori tribuendum sit, quod Macrianus rex carpento impositus avehitur XXIX. 4. 5. Nam ea quae Einhardus in vita Karoli c. I de Merwingis dicit: „Quo-

1) Simili ratione Hormisda, regis Persarum frater, regalis dictus est XVI. 10. 16. XXIV. 1. 2. 3. Quodsi Alamannorum regales subregulos, optimates, iudices ab Ammiano distingui dicit Merkel, l. l. 28. 28. errore hoc factum est, Quadorum enim XVII. 12. 21. has dignitates commemorat auctor, non Alamannorum.

cumque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis et bubulco rustico more agente trahebatur; sic ad palatium sic ad publicum populi sui conventum ire, sic domum redire solebat," cum ad posteriora tempora tum ad politiorem regiae personae cultum spectant. Sed comitatus honorem regibus fuisse certis Ammiani verbis proditur. Narrat enim ille XVI. 12. 60. de Chnodomarii comitatu „(Chnodomarius) ultro se dedit, comitesque eius ducenti numero et tres amici iunctissimi flagitium arbitrati post regem vivere vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos." Eidem igitur vivum et mortuum regem comitabantur, quemadmodum antea in pugna Argentoratensi circum reges pugnaverant, in illo „ardente optimatium globo, inter quos decernebant et reges," qui „sequente vulgo Romanorum agmina irrupit." XVI. 12. 49. — Simili ratione Hortarii regis comites quattuor commemorantur XVII. 10. 8. „quorum ope et fide maxime nitebatur;" eos obsidum loco Julianus detinuit, dum ille ut erat pollicitus, omnes redderet captivos. — Vadomarii comites capto rege ad sua redire coguntur XXI. 4. 5. — Macrianum „satellites" imponunt carpento et regem „angusto aditu circumfractis collibus" abscondunt XXIX. 4. 5. Idem rex „sonitu scutorum intonante gentilium" ad Rheni ripam Valentinianum manet et „immodestis gestibus murmureque" comites eius adventantem Imperatorem excipiunt. XXX. 3. 4. 5. — Incertum est utrum solis regibus an aliis quoque velut regulis licebat comitantibus armatis incedere; Ammianus quamvis de regibus tantum referat, tamen Randoni quoque regali comites fuisse veri simile est, cum subita irruptione Magontiacum caperet. Eo autem, quod opus erat regibus comitatu, certum assequimur testimonium, nondum ita firmatam fuisse regiam potestatem, cum praeter publicam auctoritatem armatorum quoque honorifico subsidio reges uterentur. Eis enim temporibus, cum sensim increscceret regia potestas, quasi obsoleta comitatus veteris sensim abolita est memoria novique homines novis nominibus dicti regem comitabantur. Jam si nondum firmata erat regis potestas, nondum hebetatam fuisse populi potentiam necesse est. Inter populi cives autem duo potissimum ordines discernuntur, quorum alterum, „optimates" appellat Ammianus, alterum certo nomine non insignitum nos quidem, „armatos" dicimus, cfr. XVI. 12. 26. Ammianus, ubi de Romanorum optimatibus mentionem injicit XXX. 3. 3., 5. 6. al., eos potissimum dicit, qui vel prae-

fecturas vel alios superiores magistratus vel aulica officia administrabant; rarius de eis agit, qui divitiarum magnitudine maiorem auctoritatem adepti erant, numquam fere de nobilibus generibus, quae omnino tum quidem videntur interisse. Aliam fuisse Germanorum optimatum conditionem ex alius populi natura apparet atque optime quidem Merkel in commentario ad Pact. II. 39. ex antiquissimi iuris vestigiis coniecit, fuisse aliquando duos tantum Alamannorum ordines, quos quidem apud Ammianum saepius commemoratos invenimus: optimates atque armatorum vulgum. Optimates a Gundomadi et Vadomarii populis legati mittuntur XIV. 10. 9., „optimatum series magna“ una cum regibus prope Argentoratum decernit XVI. 12. 26. 49., optimatum liberi obsidum loco a Romanis detinebantur. Tantum ex Ammiani verbis licet eruere. Atque concludat inde aliquis, fuisse veteris ac propterea nobilis originis genera, quibus ius nullum, at auctoritas quaedam, cum legati ex eis mitterentur eorumque liberi obsides haberentur, et reverentia tribueretur. Magnum fuisse eorum numerum, ipse dicit Ammianus XVI. 12. 26 49.; regum comitatus ex eis potissimum suppletos esse verisimile fit, quamvis non omnis comes nobilis neque nobilium quisque inter comites numerandus sit. — Optimates voluerunt esse viri docti Bitheridum et Hortarium, primates quos dicit Ammianus XXIX. 4. 7; sed eodem modo, quo Imperatorem saepius Principem appellat, primates, quod vocabulum alias de Germanis dictum non invenitur, pro „regibus“ vocabulo positum esse existimo. —. Praeter optimates autem et armatos cives Alamannorum servos quoque fuisse iam ex frequenti captivorum romanorum multitudine intellegitur, qui crebrioribus expeditionibus cogebantur, ita ut paene supervacaneum videatur ea referre quae Ammianus XVIII. 2. 13. „lixas vel servos, qui reges pedibus sequebantur,“ commemorat; insuper de mercatoribus memoriae traditum est, qui „venalia mancipia“ ducebant XXIX. 4. 3.

Denique alieni a re publica Alamannorum, etsi non ab origine Alamannica, Laeti videntur, qui commemorantur XVI. 11. 4. Nam siquis eorum temporum rationem consideraverit, et Julianum una cum Barbatione ad Rhenum egisse reputaverit, Laetos, qui inter utriusque exercitus castra occulte transgressi dicuntur, ex superiori certe Germania oriundos fuisse nobiscum sentiet. Jam vero alius gentis populares has potissimum regiones Laetorum conditione incoluisse veri dissimillimum est, quam quae proxima fuit. Ala-

mannos igitur et Francos fortasse Laetos sinistram ripam occupasse puto eosque, cum Alamanni Rhenum superarent et Alsatia fieret Germania superior, libertate minutos esse una cum Merkelio sentio. Sed cum per bellorum vicissitudines rursus romanus exercitus Juliano duce his regionibus immineret ac novi agrorum domini Alamanni coactis copiis bellum pararent, Laeti omni dominatione soluti ultro praedandi opportunitate usi esse videntur. Cum Rhenum redeuntes peterent ac priorem patriam, pars a Juliano occisa est, pars a Barbatione praetermissa flumen videtur transisse. Quae deinde eorum fuerit fortuna, nobis ne coniectura quidem certo licet assequi; non abhorrere tamen videtur a veritate Merkelii opinio, qui post horum aliorumque Laetorum reditum ortum esse Mediorum Alamannorum ordinem dicit.

II.

De locis quibusdam Ammiani.

XV. 4. 1. *(visum est) ut eo cum militis parte Arbetio magister equitum, cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiae pergeret, protinus barbaris congressurus.* Quae verba si ab Ammiano sic esse scripta putamus, necessario cogitandum est, Arbetionem cum validiore manu eius exercitus, cui praefectus erat quique pars erat totius exercitus Imperatoris, profectum esse ad lacum Brigantae; at obscurior haec est dicendi ratio quam ingenuam existimemus. Accedit quod manet illa quoque difficultas, quo tandem referamus illam „eo“ loci particulam. Quapropter maluerim nunc locum in corruptorum numero habere et unum alterumve ex his membris „cum militis parte“ „cum validiore exercitus manu“ ex glossemate fluxisse puto. Illud „eo“ certe referendum ad ea quae praecedunt. At iterum duo inter se pugnant praecedentia membra: in Rhaetias camposque venit Caninos. Jam quaeritur, utrum Imperatori Mediolano proficiscenti propiores fuerint campi Canini an Rhaetia provincia. Fuerunt qui Ammiani verborum dispositionem secuti propiorem fuisse Rhaetiam dicerent eiusque provinciae partem campos Caninos in septentrionali Alpium parte collocarent, quemadmodum Beatus Rhenanus, qui regiones prope Kaufbeuren, quod nunc dicitur oppidum, esse campos Caninos dixit, et Tschudio (Gallia comata ed. Gallerti 1738 pag. 287) visi sunt campi inter Curiam et Haldenstein oppida vere esse campi C.; Stumpf autem (X. 13) inter Curiam et Rägüns qui dicitur vicus prope Ems vicum positos illos campos putavit. Neque vero illi

animadverterunt, quae tradita sint de c. C. ab antiquioribus scriptoribus. Leguntur apud Apollinarem Sidonium, Arvernorum episcopum hi versus carmini quinti (374 ss.)

Conscenderat Alpes
Rhaetorumque iugo per longa silentia ductus
Romano exierat populato trux Alamannus
Perque Cani quondam dictos de nomine campos
In praedam centum novies dimiserat hostes.

qui versus ad Aëtii fere tempora spectant. Apparet in meridionali plaga Alpium collocatos fuisse campos Caninos. Quod ne in dubitationem vocetur, praesidium est Gregorii Turonensis locus [lib X. 3.], qui haec exhibet: „Ad Mediolanensem urbem advenit ibique eminus in campestria poserunt. Olo autem dux ad Bilitionem huius urbis castrum in campis sitūm caninis, importune accedens iaculo sub papilla sauciatus occidit et mortuus est.“ Apertissimum igitur, prope Bellinzonam campos Caninos patuisse; quam in sententiam convenerunt, qui nuperrime hac de re disputaverunt Keller [Die römiſchen Anſiedelungen in der Schweiz. I. Abthl. in den Mittheilungen der Züricher antiqu. Geſ. XII. p. 325] et Meyer [die römiſchen Alpenſtraßen in der Schweiz, Mittheil. XIII. p. 138]. Unde apparet, eum verborum ordinem, quem e codicibus Ammiani scriptis accepimus, ne in hoc quidem membro recte se habere; quare ad transpositionem verborum deletis nonnullis, quibus facile careamus, me conferam. Et primum quidem „in Rhaetias“ quod vocabulum in priore enuntiato sensum turbat, in membrum insequens inseram eiecto „eo;“ cur hoc „eo“ interpositum sit, facile intellegitur, cum quo tandem pergeret Arbetio, legentibus non pateret. Deinde illud „que“ delendum cum haec quoque particula a recentiore quodam litteratore inducta esse videatur, quo coniungeretur illud falso illatum „in Rhaetias“ cum ingenuo „in campos venit Caninos.“ Denique ex eis membris inter se fere simillimis, quae tamen, si utrumque retineremus, sensum turbarent, alterum: „cum validiore exercitus manu“ retineam, quippe quod propius accedat ad Ammiani tumidius dicendi genus. Quare talis e nostra coniectura evadit locus: ad quem procinctum *Imperator egressus in campos venit Caninos*, et digestis diu consiliis, id visum est honestum et utile, *ut in Rhaetias Arbetio magister equitum cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiae pergeret, protinus barbaris congressurus.*

De pugna Argentoratensi XVI. 12. —. Libri decimi sexti capite duodecimo pugnae Argentoratensis descriptio continetur, quam vir doctissimus Wietersheim his verbis praedicat (III. 306): Die nun folgende Hauptſchlacht bei Straßburg iſt dadurch ſo denkwürdig, daß es in der langen Zeit von Tacitus bis Procopius an mehr als 400 Jahren die einzige iſt, über welche uns ein militäriſch genauer Bericht vorliegt. Quare duplici modo hanc rem perscrutatus est, primam ut Ammiani descriptionem additamento paene ipsis verbis redderet, qua in re convenit cum viro doctissimo Haschberg deinde, ut summa quaeque brevibus annotationibus tangeret. Is autem qui novissime de Juliano et de pugna Argentoratensi verba fecit, J. A. Mücke, non satis habuit referre quae Ammianus describit, quid quod intulit quaedam huic descriptioni. Quae cum ita sint, operae pretium mihi facturus videor, si et Ammiani et recentiorum autorum relationes via ac ratione perlustrem. Boni militis totam esse descriptionem laudat Wietersheim, rhetoris boni, seu si mavis mali, potius ego contenderim. Ammianus enim, qua erat scholastica rhetorum disciplina imbutus, hanc quoque opportunitatem oblatam sibi existimavit, quo stili specimen praeclarum daret, neque hoc consilio lapsus est. Descripsit enim pugnam, cui ipse non interfuit, ita ut medios inter gladios et summo in fervore proelii versatum esse existimes; quare Mücke eo adductus est, ut Ammianum proelio re vera adfuisse diceret, propterea quod ille, more scilicet romano, de agilitate „nostrorum“ aliquid commemoravit (XVI. 12. 19.) et quod scriptum est (51.): quod voti magis quam spei fuisse fatebitur quilibet tunc praesens. At si legisset, quae XVI. 10. 21. dicit Ammianus: „Ursicinum ad se venire praecepit (anno scilicet 356). Et ille litteris gratanter acceptis Sirmium venit comitantibus sociis: libratisque diu super pace consiliis, quam fundari posse cum Persis Musonianus retulerat, in Orientem cum magisterii remittitur potestate, provectis e consortio nostro ad regendos milites natu maioribus, adolescentes eum sequi iubemur, quidquid pro Republica mandaverit, impleturi.“ — quae si legisset, inquam, longe remotum Ammianum in Syria tum a manu fuisse Ursicino invenisset, ita ut ne locum quidem proelii umquam videret. Verum etsi non ipse cum Juliano stipendia meruit, tamen cum tribunis vel militaribus quibusdam praefectis familiaritatem habuisse necesse est, qui horum bellorum essent veterani; et facile credas in docti Ammiani librum haec

influxisse simplicis militis verba: (66.) „ceciderunt autem in hac pugna Romani quidem CCXL. et III, rectores vero IV. Bainobaudes Cornutorum tribunus adaeque Laipso et Innocentius cataphractarios ducens et vacans quidam tribunus, cuius non suppetit nomen, ex Alamannis vero sex millia corporum inventa sunt in campo constrata“ etc. Bene ad militis disciplinam quadrare videtur haec in nominibus tribunorum describendis subtilitas: in numeris referendis, ut semper fere fit, ne huic quidem militi maior fides est attribuenda. Acta publica de hac pugna Ammiano non suppeditasse videntur, nam si illa inspexisset, de nomine quarti tribuni non dubitaret. Litteras tamen laureatas, quibus Constantius suae victoriae laudem ad coelum usque erigere studuit, ei in provinciis agenti fuisse cognitas veri simile fit. — Jam vero videamus, quae ille e militum indiciis de hac pugna referat. XII. 1. Alamannorum regum nomina referuntur. §. 2. perfugam de parvo Juliani numero eos docuisse narrat, §. 3. qua re magis etiam incitati legatos misissent, quos ille retinuisset. §. 4 et 5 de Chnodomario agitur totius belli principe eiusque prioribus proeliis, quibus adiicitur §. 6. recentis fugae Barbationis memoria. §. 7. Prima luce pedestres copiae lentis incessibus educuntur [Tabernis intellegitur, ubi usque ad perfectum opus castrorum remansit Caesar §. 3.], §. 8. consistit in itinere, cum meridies esset, Caesar et (9—12) convocata militum contione castra ut muniantur suadet. Sed et militum (13) et praefectorum (14) sententia ad pugnandum adigitur. 15—17 causae enarrantur, quibus freti Romani pugnandi alacritatem conceperint, simulque quam levis illa spes fuerit victoriae, refertur. §. 18. auctor ad sententiam paragraphi 14 redit et de signifero exhortante Caesarem narrat. His rebus factum esse, ut signa promoverentur, hostium speculatores excitarentur, unus ex illis caperetur (19). Germani quorum in conspectum venit exercitus, in cuneos conglobantur; consistit utrumque agmen 20). Alamanni autem equites secundum perfugae indicia in laevum eorum traducunt, (21) quorum [equitum] ars proeliandi describitur paragrapho 22. Dextrum latus clandestinis insidiis et obscuris confirmant (23). Rursus deinde ad Alamannorum reges decurrit Ammianus et Chnodomarium et Serapionem nominat, reliquos numero commemorat 24—26). Tum vero progreditur acies romana. Severus fossas ab Alamannis ductas veritus consistit (27), qua pugnandi mora usus Caesar singulos ordines adhortatur (28—33.). Simul Alamannorum

clamor regumque pedestre proelium commemoratur. (34. 35.) Iterum denique tubae sonant et Alamanni in equites romanos irrumpunt (36). Sinistrum Romanorum cornu progreditur, fugiunt equites (37), quoniam rector eorum occisus est (§. 38). Fugientes et aciem turbantes Caesar retinet (39. 40.) quam rem Ammianus (§. 41.) Sullae exemplo illustrat. Alamanni in primam peditum aciem incesserunt, in Cornutos scilicet et Braccatos, in media Romanorum acie positos (42. 43.) Perrumpitur haec prima acies (44), sed Batavi cum Regibus auxilio adveniunt (45.) et anceps haesitat proelium (46. 47. 48.). Tum vero ultimum conati Alamannorum optimates irrumpunt et ad primanorum legionem usque perveniunt (49.) sed magna caede facta (50.) pedes referre coacti (51.) in fugam effusi sunt. Cruenta caedes ad Rhenum usque fugientes comitata est. (53—57.). Chnodomarii deinde fortuna relata (58—61.) pugnae eventum numerumque mortuorum et Caesaris habitum recenset (62—64.) Chnodomarium denique ad Imperatorem missum esse (65. 66.) et Constantium turpi invidia Juliani gloriae detrectasse ultimis quattuor paragraphis narrat Ammianus. — Ex hac ipsa rerum dispositione facile puto intellegi, procul ab esse Ammianum cum a dilucido et concinno orationis genere tum a militari rerum describendarum subtilitate. Nam quod ad oratoris officium attinet: duobus locis [4. 5. 24.] de Chnodomario rege refert, duplex apud eum perfugae mentio fit [2. 21.], duplex tubarum sono pugnae committendae signum datur [27. 36.]; est enim auctoris nostra semper fere de materie aberrare, quae memoratu digna ei visa sunt inserere, ita ut perpetuum argumentum desideres. Hac vero stili obscuritate alterum quoque efficitur ut minus clara sit eius fides. Nam si ad perfugae causam redire licet, ubi priorem illum locum (§. 2.) legeris, eum deseruisse exercitum putabis in castrensi opere occupatum, sed altera adiecta paragrapho (21.) ex itinere eum ad Alamannorum castra pervenisse intelliges, cum qui esset equitum in acie locus, Alamannos docuerit. Deinde minus strenuum indicem esse Ammianum in describendo itinere Tabernis Argentoratum usque neminem fugiet, qui locorum longinquitatem cum brevi temporis spatio ab Ammiano commemorato comparaverit. Maximum autem errorem ab eo commissum esse apparet in par. 15., ubi haec leguntur: „Addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina: recordantibus quod anno nuper emenso Romanis per transrhenana spatia fusius volitantibus nec visus est

quisquam laris sui defensor nec obvius stetit: sed concaede arborum densa undique semitis clausis sidere urente brumali aegre vixere barbari longiusamandati: quodque Imperatore terras eorum ingresso nec resistere ausi nec adparere pacem impetraverunt suppliciter obsecrantes.“ Haec paragraphus, quin ab Ammiano re vera sit composita, cum propter rerum et verborum conexum dubitari non possit, eo minor relinquitur Ammiani fides. Frustra enim aliquis quaesiverit, quo tandem anno „nuper emenso“ Romani in „transrhenanis“ i. e. dextrae ripae regionibus bellaverint. At optime hanc rem quadrare reperiet ad ea, quae ipso anno 357. post pugnam Argentoratensem in dextra ripa gesta esse rettulit Ammianus XVII. 1. 9—10. Ibi et arborum concaedem et hiemis frigora et defensorum fugam et Romanorum latrocinia suo quidque loco inveniet. Itaque quae ad tempus insequens spectant, gravi errore ad annum proximum contulit Ammianus. Si vera igitur huius paragraphi ratio mihi constituenda esset, sic scribi vellem: Addiderat autem fiduciam nostris [consideratio gemina] recordantibus quod [anno nuper emenso Romanis per transrhenana spatia fusius volitantibus nec visus est quisquam laris sui defensor nec obvius stetit: sed concaede arborum densa undique semitis clausis sidere urgente (sic) brumali aegre vixere barbari longius amandati: quodque] Imperatore terras eorum ingresso, nec resistere ausi nec adparere pacem impetraverunt suppliciter obsecrantes. Ea, quae uncis inclusa scripsi, errore quodam ab ipso Ammiano in hunc conexum inserta esse puto. — Neque vero aliter se res habet, quae ad Imperatoris, Constantii scilicet, bella spectat. Is terras eorum ingressus esse dicitur; at Rhenum non transisse illum sed attigisse tantum ipse Ammianus claris verbis XIV. 10. 6. commemorat. Sed hac in re verbis tantum peccavisse auctorem possumus concedere, siquidem in laeva ripa terras Alamannorum positas fuisse existimamus. Neque vero nobis excusatur, quod XVI. 12. 15. nec resistere ausos nec adparere dicit Alamannos, quos ex eis, quae rettulit idem auctor XIV. 10. 6., pontem suspendi vetuisse „ritu grandinis undique convolantibus telis“ constat. Itaque hac quoque in causa ipse secum pugnat Ammianus. Prorsus autem, quae sit ratio paragraphi sextae decimae ignoratur: „Sed nullus mutatam rationem temporis advertebat, quod tunc tripertito exitio premebantur: Imperatore urgente per Raetias, Caesare proximo nusquam elabi permittente, finitimis quos hostes

fecere discordiae, modo non occipitia conculcantibus hinc indeque cinctorum. Postea vero pace data discesserat Imperator; et sedata iurgiorum materia vicinae gentes iam concordabant et turpissimus ducis Romani digressus ferociam natura conceptam auxit in maius.“ — Imperator et Caesar necessario Constantius et Julianus sunt intelligendi. Id quod legitur „Caesare proximo nusquam elabi permittente“ ad ea referendum videtur, quae XVI. 11. 6. de Laetis barbaris a Caesare interceptis narrantur, ad initium igitur anni 357. At eo tempore Imperator. Mediolani versatus est neque vero in Rhaetiis. At dixerit fortasse quispiam, exercitum Imperatoris in Rhaetiis Barbatione duce militasse et sic quodammodo dici potuisse: pressisse Imperatorem e Rhaetiis Alamannos. Sed infra Ammianus, de turpissimo ducis romani digressu verba facit, neque ad quem illa referam nisi ad Barbationem, quemquam video. Accedit quod scriptum est: „Postea vero pace data discesserat Imperator“ unde apparet, sub his verbis „Imperatore urgente per Rhaetias“ non posse subaudiri Barbationis expeditionem. Quominus de Arbetionis bello cogitemus, hoc quidem obstat, quod scriptum est uno tempore et Imperatorem et Caesarem in Alamannos pugnasse neque vero fuit tum quidem, cum Arbetio ad lacum Brigantiae missus est, ad Caesaris honorem promotus Julianus. Finitimi denique, qui fuerint, quos hostes fecere discordiae, ex XXVIII. 5. 11. videtur explicari, ubi Burgundiones Valentiniano auctore in Alamannos bellum movisse sed mox composuisse narrantur. Itaque in his paragraphis, confusione quasi divinitus conservata, error errorem cumulat. Neque tamen eo adducor, ut has paragraphos ab Ammiano abiudicem, cui propter vocabulorum compages et omne genus dicendi assignandae videntur. Has paragraphos potius in altera operis recensione ab eo additas esse maluerim, ita ut inter perpoliendi et limandi labores ex collectae materiae abundantia quaedem textui insereret, quae neque per rerum neque per temporum rationem recte locum haberent. Semel atque iterum Ammianus opus suum videtur recensuisse et limasse; quod si ex ipso opere legenti non fiet verisimile, ex epistula certe apparebit, quam Libanius rhetor dedit ad Ammianum Romae versantem, ubi haec leguntur: *νῦν δ' ὡς ἔστιν ἀκούειν τῶν ἐκείθεν ἀφικνουμένων αὐτὸς ἡμῖν ἐν ἐπιδείξεσι ταῖς μὲν γέγονας ταῖς δὲ ἔσῃ, τῆς συγγραφῆς εἰς πολλὰ τετμημένης καὶ τοῦ φανέντος ἐπανεθέντος μέρος ἕτερον εἰσκαλοῦντος.* Apparet igitur Ammianum

carptim et scripsisse et recitasse, denique singulas partes contexuisse et inertis textoris vitio mihi videtur hic unus duarum paragraphorum error in rerum dispositionem insertus esse. Quid quod veri non est dissimile, aliquid nos inde efficere de tempore, quo liber XVI. compositus sit. Tum enim cum Burgundiones Alamannis bellum inferrent, fugitivos Theodosius, qui postea imperium tenuit, ex Rhaetiis aggressus est; eumque esse Imperatorem, de quo paragrapho decima sexta refertur, facile aliquis coniecerit et per anachronismum Ammianum hac de re disseruisse. Sed missa haec faciamus et ad pugnae descriptionem redeamus. Ne in hac quidem describenda Ammianum oratorem miles Ammianus devicit. Desideramus enim in tanta verborum copia romani militis dispositionem per aciem, quae leviter tantum commemoratur §. 20. 49. neque magis quidquam de laevo Romanorum cornu, quid gesserit in proelio proditur, sed totius proelii conspectum omisit auctor et pugnae fervorem maluit describere. Quae cum ita sint, cumque pluribus ex partibus laboret Ammiani descriptio, non est quod miremur, ab recentioribus quoque hic, illic esse erratum in enarranda hac pugna. — Ea quae Huschberg hac de re rettulit, omitto, quia neque novi quidquam attulit et quae erravit iam ab aliis sunt notata. Wietersheim de itinere ante pugnam confecto dubitationem aliquam movit [III. 307] neque tamen verum adeptus videtur, cum, si ad Ammiani verba arctius accedimus, plus viginta millia passuum afuisse a Tabernis castra Alamannorum inveniemus. Rectius ille de pugnantium numero disputavit. At minus probantur, quae dicit pag. 308: Mit Berſerkerwuth ſtürzte ſich die Schaar der unſtreitig beſſer bewaffneten Volksedeln, unter der die Fürſten alle zu Fuß mitfochten, auf die vorderſte Schlachtreihe der Römer und durchbrachen ſie im erſten Anlauf. Hinter dieſer aber ſtellte ſich die Reſerve der in tiefer und dichter Ordnung formirten Legion der Primaner entgegen, die geſchickteſten Fechter des Heeres, die ſich nach Fechterart deckend in ſicherer Ruhe jede Blöße des in ſeiner Wuth unvorſichtigen Feindes mit dem Todesſtoße trafen. In textum intulit melioribus armis nobiles esse usos, et arte rhetorica Ammiani deceptus, primanis mirmillonum dubiam gloriam prae ceteris totius exercitus militibus vindicavit. Denique quae ille de Chnodomarii castris protulit pag. 309: Chnodomar eilte zu Roß einem befeſtigten Sumpflager zu, wo er Kähne hatte, ab Ammiani verbis longe absunt, qui locum duobus romanorum munimentorum nominibus

allatis describit. Qui haec viri doctissimi Wietersheim verba legerit, castra prope Argentoratum, quibus e pugna fugiens pro receptaculo uteretur, a Chnodomario posita esse existimabit. Jam vero ad eum accedo, qui Ammianum interfuisse pugnae Argentoratensi hariolatus est: J. F. A. Mücke (Flavius Claudius Julianus, nach den Quellen, Gotha 1867). Is septem Alamannorum reges e dextra ripa per tres dies et noctes lintribus transisse Rhenum ait, falso, ut supra diximus. Deinde haec habet: (da) meldete ſich plötzlich bei ihm (dem Heer der Alamannen) ein Flüchtling von den Gardeſchildnern, ein bei dieſer ausgezeichneten Kriegerſchaar gewiß nur ſelten vorkommender Fall. Tantum igitur adamavit Juliani causam remque romanam, ut e suo ingenio hoc adderet, perraro scutariorum aliquem transfugisse. Sed hoc unde scit? an ex Zosimo qui nihil omnino habet de perfuga? neque enim quisquam romanorum auctorum quidquam de numeris perfugarum ad singulas cohortes pertinentibus exhibet. Missa legatione ac retenta pergit ille narrare Chnodomarium tum demum pugnam parasse; at quo alio consilio Rhenum traiecisse illum, siquidem traiecisset, putat vir doctissimus Mücke? Prorsus mirum est quod de itinere exercitus romani narrat: Auch Julian, welcher bei der Ungeduld ſeiner Streiter nicht länger zaudern mochte, rückte aus ſeinen Schanzen und näherte ſich der feindlichen Stellung bis auf eine Entfernung von 14 Lieues, d. h. 21000 Schritten ..... Da es aber bei dem langſamen Vorrücken ſchon Mittag geworden war, ehe man in die Nähe des Feindes gelangte, ſo rief Julian ſeinen gegen die feindlichen Erdwerke (!) ungeduldig vorgehenden Vortrab (scil. exploratores Ammiani) wieder zurück .... (et concionem convocavit, cuius communi sententia procedere iussus est) .... Er ließ alſo das Heer auf dem Wege nach Straßburg, in deſſen Nähe die Feinde lagerten, weiterziehen. Quot verba tot errores! Unum quidem quaerere liceat, quae tandem fuerint Alamannorum munimenta aggere congesta? Fossam illam dextri Alamannorum cornus praesidium significari puto. Sed haec fossa an non potius rivi cuiusdam alveus fuerit, Libanio teste licet dubitari, de munimentis autem neque Ammianus neque Libanius quidquam rettulit, et cui bono fuerint munimenta quaeritur, cum Alamanni more suo aggredientes ipsi principes essent proeliandi. — Ex paragrapho vicesima Mücke sibi videtur concludere, cuneatim Romanos proelium inisse. Scriptum est ibi: „Quos cum iam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores.“

At „nostrorum“ at ductores pertinet, ita ut Alamanni potius cuneatim ad proelium processerint. Neque paragrapho octava id efficitur ut Romanos per cuneos in pugna fuisse dispositos credamus. Ibi enim de agmine neque de acie agitur. Ipse autem sensit Mücke, quantum distet ab Ammiani verbis sua lectio, cum pergit: Sie bildeten indeß nicht einen einzigen ſondern mehrere Keile, indem ſie ihre Marſchordnung einfach beibehielten. Obwohl Ammian die antepilani, d. h. die principes — denn dieſe ſtanden vor den triarii oder pilani — zuerſt nennt, ſo iſt doch wohl anzunehmen, daß die gewöhnliche Aufeinanderfolge von hastati und principes nicht geändert wurde. Hinter dieſen befanden ſich ordinum primi, vermuthlich dieſelben, welche der Zeitgenoſſe Vegetius ordinarii nennt. Mira haec rei militaris confusio profecta est ex simplici Ammiani paragrapho: „Quos cum iam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores, steterunt vestigiis fixis antepilanis hastatisque et ordinum primis velut insolubili muro fundatis.“ — Longum est, singulos errores perstringere; plura enim insunt prorsus nova, quae ab Ammiano abhorreant. Sic Julianum ille dextro sexcentorum cornui equitum praefuisse existimat, sed fugam equitum „longius“ providens (38) Caesar ad eos coercendos advolat. Denique quae ille de Chnodomarii fuga rettulit, prorsus falsa sunt. Rationem igitur, qua usus est in perscrutandis Ammiani verbis J. F. A. Mücke, haud ita sinceram esse facile quis intellegat neque propius ad artis historicae veram indolem illum eundem accedere inveniet, qui haec legerit: pag. 18. Da Chnodomar dies für Schwäche hielt, ſo ſandte er an die Römer die freche Aufforderung, ſie ſollten das durch die Tapferkeit und das Schwerdt der Alamannen eroberte Land ſofort verlaſſen, et pag. 25: Julian entließ nunmehr die übermüthigen Geſandten der gedemüthigten Feinde, welche er wie früher erwähnt, mit weiſer Klugheit zurückbehalten hatte. — Quae cum ita sint hoc quidem efficere mihi videor, ut fieri posse dicam, ut et magis secundum Ammiani verba et simplicius ipso rhetore Ammiano pugna describatur. Utrumque in dissertationis contextu conatus sum adipisci.

XVII. 1. 4. haec leguntur: Quibus clara fide compertis Caesar prima noctis quiete navigiis modicis et velocibus octingentos imposuit milites: ea re ut vi ingenti sursum versum decurso egressi quidquid invenire potuerint ferro violarent et flammis. Sic inde a Valesio omnes editiones exhibent, in codicibus autem legi ait

Valesius: „Eorum viginti sursumversus“ additque: cum haec sensu omni carean, sic legenda esse existimamus: Ea re ut vi ingenti sursum versum decurso (supple Rheno) egressi, et quae sequuntur. Neminem fore puto, quin codicum lectionem omni sensu carere una cum Valesio sentiat; sed quaeritur, utrum in eandem mutandi rationem conveniamus, qua ille usus est, an aliter huic loco mederi conemur. Ingenuum esse apparet vocabulum „egressi.“ Jam quaeritur, ubi de Juliani sententia egrederentur milites; Valesius „decurso Rheno“ respondet. Itaque haec est eius sententia, ut a Mogontiaco milites decurrisse dicat per Rhenum fluvium. Quo autem delati essent, si re verā per fluvium decurrissent? Ad Mattiacos et Macriani regis Alamannos, quibuscum tunc quidem nulla Romanis erat contentio, qui ne viderant quidem arma romana [cfr. XVIII. 2. 17]. Et si ibi egressi essent, Alamanni deinde [XVII. 1. 6.] in dextram Moeni ripam necessario redissent; sed si ita res sese haberet, unde, ex quibus montibus, ad quem dextrae ripae locum illi transissent, prorsus non intelligeretur. Apparet per rerum conexum haec verba „decurso Rheno“ non posse propria ac prima notione dici, qua respondent ad nostrum: den Rhein ſtrom-abwärts befahren. Jam vero si ingenua sunt, alia explicandi ratio quaerenda est et intelligendi via, ita quidem, ut quomodo decurrendi verbum ab Ammiano usurpetur, perscrutemur. Legitur autem XXII. 8. 17: fluvii diversi Acheron itidemque Arcadius et Iris et Tibris et iuxta Parthenius, omnes in mare ictu rapido decurrentes, notione intransitiva. XXII. 15. 9. Aethiopias autem partes praetermeans Nilus nominum diversitate decursa [seu decussa quod est in nonnullis libris manu scriptis] quae ei orbem peragranti nationes indidere complures ... ad cataractas venit. Si hoc loco ingenua est lectio, „diversitate decursa,“ diversitatem decurrere nihil aliud potest significare, nisi ab initio ad finem diversitatis pervenire. Idem fere significat hoc verbum XXIV. 3. 10: decursis millibus passuum quattuordecim. Proxime ad nostrum locum accedit XXIV. 6. 2. Hacque valle [fossa Naharmalcha] purgata avulsis cataractis undarum magnitudine classis secura stadiis XXX decursis in alveum eiecta est Tigridis. — „Translat epraeterea XX. 11. 22. Adflictabant tamen multo vehementius Persas ictus varii ballistarum tamquam per transennam a clivis structilibus decurrentes. cf. XXI. 1. 14: Ne igitur extra calcem, quod dicitur, sermo decurrens lecturo fastidium ferat, ad explicanda prospecta revertamur. —

Cum praepositione „per“ coniunctum decurrendi verbum occurrit XVIII. 2. 12: decurrere iubentur per flumen adeo taciti, ut etiam remi suspenderentur. — Quae si consideramus, Ammianum nihil discedere ab reliquorum auctorum usu invenimus: quo decurrendi verbum et transitive et intransitive de conficiendo aliquo spatio dicitur, ita tamen ut „de“ praepositionis vi servata subaudiatur ex superiore loco ad inferiorem eundi notio. Ubicunque igitur de flumine aut decurrente aut decurso agitur, semper hoc quidem inest: secundo fluvio ferri navem aut montium proclivitates sequi cursu flumen. Itaque ut ad hunc locum redeamus „decurso Rheno“ nihil aliud esse potest, nisi „secundo fluvio inferioribus ripis petitis;“ quod cum per rerum conexum re vera fieri non potuisse exposuerim, iam eo adducor ut non modo haec verba: „vingenti sursum versus,“ verum etiam „viginti sursum versus decurso“ corrupta esse dicam. Magis etiam haec sententia mihi probatur cum admodum durum esse omisso substantivo „Rheno“ seu „fluvio“ videatur participium „decurso.“ Quamvis enim Valesius in adnotatione ad XVI. 12. 6. complures attulerit locos, ubi idem factum esse videretur, nihil tamen ad comprobandam sententiam attulit. Quos enim ille laudat locos, aut non recte videtur intellexisse, quem ad modum XV. 5. 19. [„Solusque ad exstinguendum probis quidem sed insidiosis rationibus poscebatur (Ursicinus), ubi ad extinguendum“ non supplendum est „Silvanum,“ sed hoc vocabulum pro neutro accipiendum] aut ipse unus vidit, quem ad modum XXIII. 13. 1. qui liber sex capitibus continetur, aut denique dubiae fidei locos attulit, quem ad modum XIX. 1. 4. ubi „se“ pronomen inter viso et statim vocabula excidisse videtur. Quae cum ita sint, e coniectura huic loco succurrendum est. Ac graviter librorum manu scriptorum mihi non suppeditare cognitionem satis certam doleo, vereor enim ne, quae ego sine librorum auctoritate proponam in suspenso relinquant rem. Movit tamen mihi suspicionem, quod ter in his verbis „sursum versum decurso“ repeti videbam rs litteras, unde has litteras in lectione ingenua repertas esse ratus hanc veram esse lectionem putavi „sursum deorsum.“ Cum enim et sursum versum [Cato r. r. 33. 1., Varro r. r. 1. 32., Lucret II. 188., Cicero orat. 39. 135] et sursum deorsum vocabula [Ter. Eun. 2. 247., Cic. nat. d. 2. 33. 84., Gellius 6. 4. 3.] in communem abissent usum, facile potuit fieri, ut a litterariis utrumque confunderetur, unde orta est haec lectio „sursum versus deorsum“, quam scribae cuiusdam errore in

nostrum, „sursum versus decurso“ mutatum esse suspicor. Quam lectionem si recipimus omnia bene se habent. Inde enim apparet, octingentos milites hic illic in Rheni ripam dextram egressos per eas regiones, ubi nunc Darmstadt urbs incolitur, populabundos esse profectos et vicos villasque concremasse. Haec incendia visa esse ab Alamannis trans Moenum fluvium in monte Tauno Julianum itinere prohibentibus. Tum re subita perterritos illos relicto monte trans Moenum fluvium avolasse, [quem fluvium in his fere regionibus vado superari compluribus testimoniis etiam medii aevi docetur, cfr. Gualteri ab Occra epistolam de pugna ad Moenum anno 1247 commissa], Julianum autem aperto itinere per dextram Moeni fluvii ripam usque ad Traiani monumentum profectum esse. Hoc modo simul eos evitavimus errores, quos Stälin et Wietersheim et Mücke in se admiserunt. Stälin enim haec habet: pag. 127 Julian ließ 800 Krieger den Main hinauffahren, um seine Ufer zu verheeren. Hierdurch aufgeschreckt riefen die Alamannen ihre Angehörigen zu den Waffen und bestimmten ihre Bundesgenossen nördlich vom Main über den Fluß herüber zu Hülfe zu eilen. Die Römer drangen auch vom linken Mainufer von Mainz aus nur zwei deutsche Meilen weit vor. At non licet de Moeno cogitare, quem octingenti milites decurrerint; Moenus enim sexta demum paragrapho nominatur et ita quidem, ut eum tum primo appellari intelligas: „trans Moenum nomine fluvium ad opitulandum suis necessitudinibus avolarunt.“ Deinde non ipsi Alamanni incendiorum signis et „ingentibus fumi voluminibus“ consanguineos ad arma convocaverunt, sed romani milites, quibus hoc erat imperatum, ut quidquid invenirent, ferro violarent et flammis. Neque Alamanni, qui Moenum fluvium vado superaverunt, consanguineis sed necessitudinibus praesidio profecti sunt, i. e. coniugibus et liberis, unde apparet ipsos in sinistra Moeni ripa incoluisse et eo tantum consilio Moenum primo transisse, ut progrediendo impedirent Julianum. Hunc denique non per sinistram sed per dextram ripam Moeni processisse intellegitur. Post eum Wietersheim III. 311. hanc expeditionem pluribus verbis describit. Navibus pontem a Juliano esse compactum una cum viro d. Huschberg (pag. 265.) Wietersheim inde concludit, quod legitur „ut ponte compacto transgressus“ etc., sed statim insequitur „pontibus constratis“ neque ex ipsis Ammiani verbis satis liquet, utrum stativo an navali ponte Julianus usus sit; coniectura haec res dis-

ceptanda est; equidem cur stativo ponte illum transgr
opiner, supra exposui. Contra aquam octingentos mili
tos esse ait Wietersheim idque efficere sibi videtur ex
decurso [Rheno], quibus haec addit, pag. 510: Decurrere
auch für Zurücklegen eines Weges im Allgemeinen gebrauch
fieri non posse supra me probasse spero. Ibidem Ju
sinistram Moeni ripam transisse ait, quae res haud parv
est ad recte disponenda reliqua.

Cum enim munimentum illud Traiani a peritissim
regionum Huschberg positum fuisse dicatur, ubi nunc K
in dextra Moeni ripa conspicitur et secundum Huschbergii enarrationem Wietersheim rerum ordinem referat, necessario hic Caesarem sub finem totius expeditionis Moenum traiecisse ait, id quod ab Ammiano nullo verbo tangitur, quem tantam rem aut omisisse aut ignorasse mihi non fit verisimile. Quae Mücke pag. 25. 26. opusculi sui his de rebus disserit, non maiore fide digna sunt, quam quae supra recensuimus. — Unum nobis liceat in suspenso relinquere, qui fuerit locus castelli a Traiano muniti. Stälini sententia, qui vicum Rüsselsheim intellegi debere dicit, propterea nobis non probatur, quod omnis expeditio in dextra Moeni ripa acta videtur. Utrum autem prope Kronenburg, it quod et veteres auctores et v. d. Huschberg asseverant, an alio quodam loco positum fuerit, nobis harum regionum minus peritis non liquet; facile tamen aliquis conjiciat, fuisse in regione Schafnaburgensi, ubi limes, quem a Traiano munitum esse constat, Moenum attingebat, eo consilio erectum castellum, ut eius defensores a Moeno hostes defenderent.

Lipsiae ex Officina Baeri et Hermanni.

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 09 20 05 10 016 1